

## No. 32. 1071.

*B. Benno beurkundet einen zum Vortheil der Stiftskirche mit einem slaw. Edlen Namens Bor und dessen Söhnen wegen mehrerer Ortschaften abgeschlossenen Vertrag.*

B. Misinensis ecclesiae X<sup>mus</sup> episcopus notum facit omnibus in Christo fidelibus, quod quidam liber homo Bor vocitatus, natione Sclauus, V villas praedii sui in provincia Nisanen, in burgwardo Woz sitas, praesentibus ac collaudantibus duobus filiis suis Wichardo et Liutgero<sup>1)</sup> in proprium tradidit, cum omnibus appenditiis et pertinentiis earundem villarum, mancipiis, areis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, viis et inviis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, ea videlicet ratione, quod sibi filiisque suis totidem villae eiusdem ecclesiae, quas ipsi collaudaverant, in beneficium darentur. Haec sunt V nomina villarum, quae a Misinensi episcopo Bennone in concambium datae sunt Boroni et filiis eius, una in burcwardo Ziauzo, Tesice, duae in burcwardo Bresnice, Luciwice et Wirnotine vocitatae, una in burcwardo Godiwo, Drogobudowice, item una in burcwardo Trebiste, Rocina<sup>2)</sup>, hac tamen conditione, ut ipse pater quamdiu viveret his decem villis sine omni servitio potestative potiretur, post mortem vero suam superstites filii easdem villas aequae inter se dividerent, et quemadmodum pater eorum vivens, quamdiu viverent ipsi potestative eis fruerentur, et si alter eorum obiret<sup>3)</sup> hereditas illius in his praedictis villis ad alium non rediret; ambobus vero mortuis episcopus praenominati loci potestatem inde haberet faciendi quod vellet. Et si pater et filii dum viverent, aliquam werram in eisdem bonis episcopo facerent, hoc est si alicui alteri nisi Misinensi ecclesiae eiusque episcopo totum, vel aliquam partem traderent vel tradere vellent, ipsi tam suis quam praediis episcopi penitus carerent. Haec facta sunt in ecclesia Misinensi praesente rege Heinricho<sup>4)</sup>, secundi imperatoris Heinrichi filio, praesentibus etiam venerabilibus episcopis Wezelone Magdeburgensi archiepiscopo, Annone Coloniensi archiepiscopo, Adelberto Bremensi archiepiscopo, Burchardo Haluerstetensi episcopo, Eppone Citicensi episcopo, Wernhero Merseburgensi episcopo, laicis Ottone duce Bauuariorum, Magno<sup>5)</sup> Saxonum duce, Wrotezlau Boemiorum duce, Bolezlauo Poloniorum duce, Echeberto marchione, Tetone marchione, Uthone marchione, Friderico<sup>6)</sup> palatino comite, Gerone et fratre eius Thiemone<sup>7)</sup> comitibus, Burchardo Misinensis civitatis praefecto et duobus filiis eius Euone et Burchardo<sup>8)</sup> cum multis militibus marchionis Echeberti, Hugoldo, Friderico, Mârichone, Witigone, Chitolone, Spittiso, Zuezlauo, Boliboro, Rotaso, Zidez-lauvo, Minichone, Pribizlauo, Zulizlauo, Wizlao, Mazelino, Wirchizlao, Mizboro et filio eius Naziwog, Coso, Borizlao, Johano<sup>9)</sup>, Tammone, et clericis Rodolfo, Bernharo, Azelino, Christiano, Willehalmo, Gettone, Berchtoldo, Regimboldo, Willerico, Appone. Haec facta sunt anno dominicae incarnationis millesimo LXXI. indictione X<sup>ma</sup>, anno autem ordinationis domini Heinrichi quarti regis septimo X<sup>mo</sup>, regni vero V<sup>to</sup> X<sup>mo</sup> feliciter amen.

1) *Luthero B.* 2) *Haec sunt* — *Rocina* fehlt im Text B., doch sind von einer andern Hand und wahrscheinlich etwas später drei verticale Punkte gemacht zur Verweisung auf die am Schlusse der Urkunde hinzugeschriebenen Worte: *Haec sunt* — *Ziauzo, Tesize, duae in burcwardo Bresnice, Luciwice et Wirnotin* (e von alter Hand wegradirt) *vocitatae, una in burcwardo Godiwo Drogobudowice, item una in burcwardo Trebiste* (*Rocina* fehlt). 3) *obirent A.* 4) *Heinrico A.* 5) *Magono A.* 6) *Fridericho B.* 7) *Thietmone B.* 8) *et duobus* — *Burchardo* fehlt in B. 9) *Friderico, Witigone, Chitolo, Spittis, Zuezlau, Bolibor, Rotas, Zeslau, Minich, Pribizlau, Zulizlau, Wizlao, Machelino, Wirchizlau, Cos, Borizlau, Johan B.* Die hier ausgelassenen und alle folgenden Namen *Tammone* — *Appone* fehlen in B.